

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXI - N. 2

1989

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM COUNCIL
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1989

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

- Allocutio Summi Pontificis ad coetum quendam Advocatorum Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, sodalium «International Academy of Trial Lawyers», coram admissum 107
Allocutio Summi Pontificis eos, qui conventui nationali studii ab «Unione Giuristi Cattolici Italiani» celebrato interfuerunt, coram admissos 109

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO DE DOCTRINA FIDEI

- Decretum quo, ad Poenitentiae sacramentum tuendum, excommunicatio latae sententiae illi quicunque ea quae a confessario et a poenitente dicuntur vel per instrumenta technica captat vel per communicationis socialis instrumenta evulgat, infertur 112
Rescriptum ex Audientia SS.mi formulas Professionis Fidei et Iuris iurandi Fidelitatis contingens foras datur 113

SUPREMUM TRIBUNAL SIGNATURAE APOSTOLICAE

- Declaratio. De foro plerarumque probationum 114
Declaratio. De foro competenti in causa nullitatis matrimonii, post sententiam negativam in prima instantia latam 117

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

- I. Coetus studii «De Quaestionibus specialibus Libri II» (Sessio II) 119
II. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio III) 137
III. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio IV) 165
IV. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio V) 205
V. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio VI) 246
VI. Coetus studii «De Magisterio ecclesiastico» (Sessio VI) 274
- * * *
- Opera a Consilio Bibliotheca recepta 316
Notitiae 317
Index Rerum Generalis 319

Ex Actis Pont. Comm. C.I.C. Recognoscendo

I

COETUS STUDII DE QUAESTIONIBUS SPECIALIBUS LIBRI II

Sessio II

(diebus 9-12 decembris 1967 habita)

Diebus 9-12 mensis decembris 1967, in Aula Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, conventus habuit Coetus studii institutus ad perpendendas sic dictas «Quaestiones speciales Libri II Codicis».

In conventibus partem habuerunt: Exc. mus unus, Rev.mi quattuor atque Ill. mus unus Consultores. Legitime impeditus adesse non valuit Exc. mus unus Consultor. Adfuit quoque Rev.mus P. Bidagor, Commissionis Secretarius. Adunationes moderatus est Rev.mus Onclin, Commissionis Secretarius Adjunctus. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz. Quaestiones hac in Sessione pertractandae duae sunt, nempe:

- a) de emendandis canonibus qui ad modum appendicis proponuntur in Relatione praecedentis Sessionis (cfr. *Communicationes* 21 [1989] 52-55)]
- b) de personalitate canonica.

Antequam incipiat deliberatio quaeritur num aliquis adstantium animadversiones habeat proponendas in Relationem praecedentis Sessionis, quae omnibus Consultoribus huius Coetus congrua antelatione tradita est. Nulla fit animadversio, et Relatio unanimiter approbatur.

I. SCHEMA CANONUM PROPONITUR

Canon 1

Textus propositus hic est:

§ 1. Persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit, maior est; infra hanc aetatem, minor.

§ 2. Minor, ante plenum septennium, dicitur infans seu parvulus et censetur non sui compos; expleto autem septennio, usum rationis habere praesumitur (cfr. can. 88 CIC).

Nulla fit animadversio ideoque approbatur.

Canon 2

Haec est formula proposita:

§ 1. Persona maior plenum habet suorum iurum exercitium.

§ 2. Persona minor in exercitio suorum iurum potestati obnoxia manet parentum vel tutorum, secundum praescripta iuris civilis respectivae nationis, nisi ius canonicum de tutore vel de eiusdem potestate aliud praescriptum pro certis causis statuerit, aut Episcopus dioecesanus in certis casibus iusta de causa per nominationem alias tutoris providendum aestimaverit (cfr. can. 89 CIC).

Nulla fit animadversio ideoque manet approbatus.

Canon 3

Hic est textus propositus:

Quicumque usu rationis habitu sunt destituti censetur non sui compotes et infantibus assimilantur (cfr. can. 89 CIC).

Rev.mus primus Consultor proponit ut adhibeatur numerus singularis, quod omnibus placet. Textus ergo canonis ita emendatur: « Quicumque usu rationis habitu est destitutus censetur non sui compos et infantibus assimilatur ».

Canon 4

Textus propositus est:

§ 1. Locus originis filii, etiam neophyti, est ille in quo cum filius natus est, domicilium, aut, defectu domicilii, quasi-domicilium habebat pater vel, si filius sit illegitimus aut postumus, mater.

§ 2. Si agatur de filio vagorum, locus originis est ipsem nativitatis locus; si de exposito, est locus in quo inventus est (cfr. can 90 CIC).

Quaedam animadversiones a Consultoribus exponuntur, videlicet: quid si coniuges separantur ante filii nativitatem et mulier proprium domicilium acquirat (Exc.mus secundus Consultor); quid si coniuges ad tempus tantum separantur et deinde iterum uniantur (Rev.mus Secretarius Ad.); quid si separatio eveniat ex culpa mulieris (Rev.mus Secretarius Ad.)?

Rev.mus primus Consultor censet hac in quaestione discedendum non esse ad nimia particularia. Res habet momentum tantum quoad ordinacionem. Proponitur ergo ut textus maneat sicuti est, quod omnibus placet.

Canon 5

Textus propositus sic sonat:

Persona dicitur: *incola*, in loco ubi domicilium, *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet; *peregrinus*, si versetur extra domicilium et quasi domicilium quod adhuc retinet; *vagus*, si nullibi domicilium habeat vel quasi domicilium (cfr. can. 91 CIC).

Nulla fit animadversio ideoque canon approbatur.

Canon 6

Formula quae proponitur est:

§ 1. Domicilium acquiritur commoratione in aliqua paroecia aut saltem in territorio alicuius dioecesis aliasve Ecclesiae particularis quae iure dioecesi aequiparatur; quae commoratio aut coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, aut ad decennium completum sit protracta.

§ 2. Quasi-domicilium acquiritur commoratione ut supra, quae aut coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem per tres menses, si nihil inde avocet, aut ad tres menses reapse sit protracta.

§ 3. Domicilium vel quasi-domicilium in paroecia dicitur *paroeciale*; in territorio dioecesis aliasve Ecclesiae particularis eidem aequiparatae, etsi non in paroecia, *dioecesanum* (cfr. can. 92 CIC).

Rev.mus Secretarius Ad. censet necessarium non esse verbum «saltem», in § 1.

Rev.mus primus Consultor autem existimat hoc verbum bene positum esse; nam domicilium dioecesanum acquiritur tantum si dioecesis nondum in paroecias divisa sit.

Exc.mus secundus Consultor quaestionem ponit de paroecia personali. Respondet tamen Rev.mus Secretarius Ad. paroeciam personalem aliquo territorio generaliter circumscribi, etiam quando superior circumscription, Ecclesia nempe particularis, sit mere personalis et ideo criteriis tantum personalibus circumscribatur.

Rev.mus tertius Consultor quaerit num necessaria hic sint verba «aliasve Ecclesiae particularis quae iure dioecesi aequiparatur». Cum haec quaestio iam determinata sit in aliis canonibus, concluditur haec verba in praesenti canone sine ulla difficultate expungi posse.

Rev.mus quartus Consultor postulat ut dicatur « in dioecesi », loco « in territorio alicuius dioecesis ».

Attamen Rev.mus Secretarius Ad. mavult formulam: « in territorio alicuius paroeciae aut saltem dioecesis ».

Nulla fit animadversio quoad § 2.

Rev.mus Secretarius Ad. hanc emendatam redactionem proponit pro § 3: « Domicilium vel quasi-domicilium in territorio paroeciae dicitur *paroeciale*; in territorio dioecesis, etsi non in paroecia, *dioecesanum* ». Propositio recipitur.

Textus ergo emendatus huius canonis ita suffragationi ponitur et approbatur:

§ 1. Domicilium acquiritur ea in territorio alicuius paroeciae aut saltem dioecesis commoratione, quae aut coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, aut ad decennium completum sit protracta.

§ 2. Quasi-domicilium acquiritur commoratione in territorio de quo in § 1, quae aut coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem per tre menses si nihil inde avocet, aut ad tres menses reapse sit protracta.

§ 3. Domicilium vel quasi-domicilium in territorio paroeciae dicitur *paroeciale*; in territorio dioecesis, etsi non in paroecia, *dioecesanum*.

Canon 7

Hic est textus propositus:

Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 8.

Nulla fit animadversio ideoque canon approbatur uti iacet.

Canon 8

Uxor, ratione debitae inter coniuges vitae communionis, comuni quidem ut plurimum consensu ordinandae, praesumitur habere domicilium et quasi-domicilium viri sui; potest tamen etiam proprium domicilium et quasi-domicilium acquirere (cfr. can. 93 CIC).

Facta suffragatione, omnibus placet prima formula proposita.

Canon 9

Textus qui proponitur est:

§ 1. Minor necessario retinet domicilium et quasi-domicilium illius cuius potestati subiicitur. Infantia egressus potest etiam quasi-domicilium

proprium acquirere; atque legitime ad normam iuris civilis emancipatus etiam proprium domicilium.

§ 2. Amentes et quicumque, alia ratione quam minoritate, in tutelam vel curatelas legitime traditi sunt alterius, domicilium et quasi-domicilium habent tutoris vel curatoris (cfr. can. 93 CIC).

Rev.mus primus Consultor expostulat ut § 2 redigatur numero singulari, quod omnibus placet. Ergo textus approbatus ita sonat:

«Amens et quicumque, alia ratione quam minoritate, in tutelam vel curatelas legitime traditus est alterius, domicilium et quasi-domicilium habet tutoris vel curatoris».

Canon 10

Haec formula proposita est:

§ 1. Tum per domicilium tum per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur.

§ 2. Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur.

§ 3. Illorum quoque qui non habent nisi domicilium vel quasi-domicilium dioecesanum parochus proprius est parochus loci in quo actu commorantur (cfr. can. 94 CIC).

Nulla fit animadversio, ideoque textus approbatur uti iacet.

Canon 11

Hic textus propositus est:

§ 1. Consanguinitas computatur per lineas et gradus.

§ 2. In linea recta, tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto.

§ 3. In linea obliqua, si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae; si duo tractus sint inaequales, tot gradus quot generationes in tractu longiore (cfr. can. 96 CIC).

Rev.mus Secretarius, pro adstantium informatione, refert Coetum studii « De matrimonio » optasse pro gressu versus sistema germanicum, sicut factum est quoque in iure orientali. Quaestio tamen solvenda est ab hoc Coetu.

Haec propositio placet quia:

a) favet unioni ius latinum inter et ius orientale;

b) facit assimilationem inter sistema canonicum et ius civile. Ideo Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum proponit pro § 3:

« In linea obliqua tot sunt gradus quot personae in utraque simul linea, stipite dempto ».

Suffragatione facta nova § 3 approbatur. Textus ergo canonis qui recipitur est sequens:

§ 1. Consanguinitas computatur per lineas et gradus.

§ 2. In linea recta tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto.

§ 3. In linea obliqua tot sunt gradus quot personae in utraque simul linea, stipite dempto.

Canon 12

Haec est formula proposita:

§ 1. Affinitas oritur ex matrimonio valido, etsi non consummato.

§ 2. Viget inter virum et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos.

§ 3. Ita computatur ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa (cfr. can. 97 CIC).

Nulla fit animadversio, ideoque textus recipitur sicuti est.

Canon 13

Textus propositus est:

Ad Ecclesiam determinati ritus pertinent:

1º omnes qui caeremoniis illius ritus ministro baptizati sunt; aut in illo ritu baptizari debuissent, sed reapse ab alterius ritus ministro baptizati sunt, sive ob gravem necessitatem cum sacerdos proprii ritus praesto esse non potuit, sive ob aliam causam de licentia competentis auctoritatis, sive etiam ob fraudem adhibitam;

2º ii etiam qui, licet in alieno ritu baptizati, ad illum ritum de Apostolicae Sedis facultate transierint;

3º mulier quae, licet diversi ritus, ad ritum viri, in matrimonio ineundo vel eo durante, transierit; matrimonio autem soluto, libere potest mulier proprium ritum reassumere;

4º filii minores quattuordecim annis, quorum pater aut, in mixto matrimonio, pars catholica ad eundem ritum legitime transierit (cfr. can. 98 CIC).

Rev.mus primus Consultor obiicit redactionem n. 1º ansam praebere casuisticae. Proponitur igitur sequens redactio: « Inter varios Ecclesiae ritus ad illum ritum quis pertinet cuius caeremoniis baptizatus est aut ad normam iuris baptizari debuisset ».

Haec nova redactio omnibus placet. Habetur deinde quaedam discep-tatio circa eos qui regrediuntur ad plenan communionem, sed textus non mutatur.

Proponitur etiam ut qui nunc est n. 1º fiat § 1, et § 2 incipiat per verba: « Ad alienum tamen ritum transire possunt ».

Haec solutio in genere approbatur, sed quaestio ponitur quoad n. 4º, et notatim quoad verba « in mixto matrimonio pars catholica ».

Rev.mus Secretarius Ad. in memoriam revocat haec verba inveniri in Codice Orientali nunc vigente, et plerique Consultores censem textum servari posse uti nunc est. Animadvertisit tamen textum canonis esse incompletum, quia nihil statuitur de filiis quorum parentes sint ignoti. Maioritati autem placet ut de hac re nihil dicatur.

Post novum studium huius quaestionis, Rev.mus Secretarius Ad. proponit novam canonis redactionem quae sic sonat:

§ 1. Inter varios ritus in Ecclesia ad illum ritum quis pertinent, cuius caeremoniis baptizatus est aut ad normam iuris baptizari debuisset.

§ 2. Attamen, post receptum baptismum, alii ritui adscribuntur:

1º qui facultatem ad aliud ritum transeundi ab Apostolica Sede obtinuerint;

2º mulieres quae, in matrimonio ineundo vel eo durante, ad ritum viri se transire declaraverint; matrimonio autem soluto, libere possunt ritum, cui ad normam § 1 adscriptae erant, reassumere;

3º filii minores quattuordecim annis quorum pater aut, in mixto matrimonio, pars catholica ad aliud ritum legitime transierit.

Haec formula in genere placet, sed ipse Rev.mus Secretarius Ad. novam proponit emendationem in § 1, nempe: loco « ad normam iuris » dicitur « licet in alio ritu reapse baptizatus ». Haec tamen emendatio non admittitur, quia verba proposita satis clara esse videntur.

Tandem ipse Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut sequentes emendationes fiant, quae ab omnibus approbantur:

§ 2, n. 3º, in fine, addatur: « adepta autem maioritate, possunt pristinum ritum reassumere »;

addatur nova § 3, quae sic sonet: « Mos, quamvis diuturnus, sacramenta in alieno ritu recipiendi, non secumfert ritus mutationem ».

Textus ergo canonis qui definite approbatur est sequens:

§ 1. Inter varios ritus in Ecclesia ad illum ritum quis pertinet, cuius caeremoniis baptizatus est aut ad normam iuris baptizari debuisset.

§ 2. Attamen, post receptum baptismum, alii ritui adscribuntur:

1° qui facultatem ad alium ritum traseundi ab Apostolica Sede obtinuerint;

2° mulieres, quae, in matrimonio ineundo vel eo durante, ad ritum viri se transire declaraverint; matrimonio autem soluto, libere possunt ritum, cui ad normam § 1 adscriptae erant, reassumere.

3° filii minores quattuordecim annis quorum pater aut, in mixto matrimonio, pars catholica ad alium ritum legitime transierit; adepta autem maioritate, possunt pristinum ritum reassumere.

§ 3. Mos, quamvis diuturnus, sacramenta in alieno ritu recipiendi, non secumfert ritus mutationem ».

II. DE PERSONALITATE MORALI

Duplex est quaestio nunc pertractanda, videlicet: *a)* de notione personae; *b)* de actibus iuridicis personae moralis earumque validitate.

De personalitate morali

1. Exponit Rev.mus Secretarius Ad. hac de re plures esse theorias, quarum nulla particularis sancienda videtur in novo Codice; ex altera autem parte, praे oculis habendae sunt diversae theoriae, ut normae practicae statui valeant.

Rev.mus Secretarius stat pro sententia quae tenet personas morales meram esse iuris fictionem.

Rev.mus tertius Consultor censem canones praticos ita redigendos esse ut saltem nulla habeatur contradictio cum iis quae hodie in doctrina canonica legitime sustinentur.

Ill.mus quintus Consultor animadvertisit personam moralem esse instrumentum technicae iuridicae ad solvendas quaestiones praticas. Si enim de subiectis iurium agitur, doctrina iuridica tres species subiectorum contemplatur: personas physicas, personas iuridicas, seu morales, et subiecta iurium quae non sunt personae canonicae.

Rev.mus primus Consultor his dictis assentit et adiungit quaedam esse entia ecclesiastica — cuiusmodi sunt tribunalia, Synodi, etc. — quae personalitate carent, sed sunt tamen subiecta iurium et obligationum.

Censet vero Rev.mus. Secretarius Ad. talia instituta in iure condendo vocari posse personas morales, quia aliter in incerto manendum erit.

Idem existimat Rev.mus tertius Consultor, qui censet unitatem intentionalem sufficere ad personas morales constitutas. Attamen Rev.mus Secretarius Ad. loqui praeoptat de unitate institutionali, sive ex natura rei sive ex iure positivo: sic oriuntur personae morales et personae iuridicae.

Rev.mus quartus Consultor tenet personam moralem esse meram iuris fictionem. Pluries quidem ius adhibet fictiones, et est notio utilis sed praedita solummodo valore instrumentalis.

Denuo Rev.mus tertius Consultor explanat suam sententiam de unitate intentionalis, quae adest ubi ens quoddam ad finem tendit.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit hoc pariter valere de bonis quae ad aliquem finem destinantur. Assentit Rev.mus tertius Consultor, in mentem revocans distinctionem canonistarum Mediae Aetatis inter universitates personarum et universitates rerum: hac de causa non admittit ut persona moralis sit mera iuris fictio.

Rev.mus quartus Consultor censet officia in Ecclesia esse non posse personas morales. Si, e.gr., Romanus Pontifex aliquam doctrinam proponet, in casu agit ipsa persona Pontificis, non officium. (Existimat tamen Rev.mus tertius Consultor hoc in casu agere personam quatenus ipsa officium detinet).

Rev.mus Secretarius Ad. aliam proponit quaestionem, scilicet: quem in finem vult Ecclesia ut existant personae morales? Ex hac enim quaestione, quae habet characterem generalem, gressus fieri potest — ut suggerit Rev.mus primus Consultor — ad res magis particulares determinandas.

Rev.mus quartus Consultor cum hac methodo procedendi non concordat; nam magis expedire censet ut punctum initiale sint singuli casus concreti, ita ut ex ipsis perveniatur ad generaliora. Idem sentit Ill.mus quintus Consultor.

Ut notio generica personae moralis conficiatur — solummodo, ut patet, tanquam instrumentum laboris huius Coetus — sequentes notae proponuntur: 1) ut sit subiectum iurium et officiorum quae non requirant necessario aliquam personam physicam; 2) ut habeat aliquem finem; 3) ut sit subiectum unicum ac indivisibile.

Animadvertisit autem Ill.mus quintus Consultor hoc in casu cadere can. 1497 § 1 actualis Codicis, quia tunc adesse possunt in Ecclesia personae morales, quarum bona non sint ecclesiastica. Hac in re concordant omnes Consultores, dicentes hoc praeceptum revera non valere pro omnibus personis moralibus.

Rev.mus quartus Consultor quaerit num omnia entia quae in Ecclesia existunt, talibus condicionibus praedita, ipso facto sint personae morales. Rev.mi Secretarius Ad. et sextus Consultor negative respondent, quia requiritur recognitio explicita Ecclesiae.

Rev.mus primus Consultor censet necessarium esse ut distinctio fiat inter iura ac officia personae moralis qua talis et illa quae personis physicis competere possunt. Inter prima recensenda sunt e.g. ius ad nomen vel ad certam sedem.

Quartum proponitur principium descriptivum personae moralis, scilicet capacitas habendi bona materialia. Bona enim generatim necessaria sunt ad finem consequendum, et persona moralis proprio fine praedita est. Placet omnibus.

Concordantia igitur obtinetur quoad supradicta elementa fundamentalia personalitatis moralis, quapropter transitus fit ad aliam quaestionem: quaenam entia in concreto considerari possunt ita qualificata, ut legislator illis tribuat qualitatem personae moralis?

2. Rev.mus primus Consultor censet his requisitis imprimis pollere circumscriptiones ecclesiasticae.

Ill.mus quintus Consultor clarificationem petit quoad hanc quaestione; num cum quis loquitur de personalitate iuridica dioecesis bene determinari debet quid in casu significetur. Si intentio sit ud dioecesis bona possidere valeat etc., nulla videtur difficultas. Si vero agatur de determinanda responsabilitate propter actus positos — e.g. si recursus fiat adversus decretum administrativum episcopi —, quis respondet in casu? an episcopus? an diocesis? In iure enim civili administrativo duplex distinguitur relatio, nempe: 1) relatio organica (cuius subiectum est ens-auctoritas); 2) relatio functionalis (quae in personam auctoritate pollentem recidit).

Rev.mus Secretarius Ad. respondet materiam studii actualis restringi ad capacitatem habendi bona, acquirendi obligationes erga alios, etc., ex clusa autem quaestione de responsabilitate personae moralis. (Ill.mus quintus Consultor conformem se dicit cum hac delimitatione materiae).

Rev.mus Secretarius Ad. quaerit num placeat ut circumscriptiones ecclesiasticae omnes dici possint personae morales.

Rev.mus quintus Consultor explanationem desiderat, num, nempe, transitus a possibilitate habendi personalitatem moralem ad ipsam realitatem eam habendi sit quaestio quae pendeat ab opportunitate.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. rem in praxi pendere a bono communi. Adiungit Rev.mus primus Consultor maxima utilitatis pro Ecclesia esse ut Status admittat personas morales ecclesiasticas, qua de causa tales personae morales non debent nimis multiplicari.

Rev.mus Secretarius Ad. et Ill.mus quintus Consultor adiungunt opportunum quoque esse ut, in quantum fieri possit, personae morales ecclesiasticae personalitatem etiam civilem acquirant.

Admittendum ergo videtur ut personalitate morali gaudere possint: *a) circumscriptio*nes ecclesiasticae; *b) associationes personarum conditae sive a Hierarchia sive a personis privatis; c) universitates rerum seu bona quaedam quae in mente fundatoris ad particularem finem destinantur.* (Quoad hoc, tamen, Rev.mus tertius Consultor censet universitates rerum non esse necessario quandam massam bonorum; ut exemplum adducit Universitatates studiorum. Rev.mus Secretarius Ad. respondet Universitates studiorum includendas esse inter universitates personarum).

Rev.mus Secretarius Ad. dicit ad naturam personae moralis pertinere ut ipsa proprium patrimonium habere possit. Aliqua habetur disceptatio hac de re, sed concluditur personas morales patrimonium habere utique posse, non autem necessario debere. Dicendum ergo erit personas morales capaces esse habendi proprium patrimonium.

3. Nunc nova quaestio proponitur: quaenam sunt species personarum moralium?

In Codice actuali distinctio fit inter collegiales et non collegiales, quae tamen distinctio Rev.mo quarto aliisque Consultoribus non placet. Anmadvertisit quoque Rev.mus Secretarius Ad. hanc divisionem esse incompletam, quia adsunt universitates personarum quae non agunt collegialiter.

Fit de hoc parva disceptatio et pervenitur ad hanc divisionem statuendam:

— Universitates personarum:

a) quae habent indolem collegialem; b) quae non habent indolem collegialem.

— Universitates rerum: quae non habent indolem collegialem, sed possunt habere tanquam organum coetum personarum, qui vi iuris vel statutorum collegialiter agat.

Alia quoque proponitur distinctio: in vigenti Codice, agnitus alicuius personae moralis secum fert ut ipsius bona fiant ecclesiastica. Adesse tamen possunt associationes quae sint personae morales et quarum bona, uti iam dictum est, non necessario esse debeat ecclesiastica, immo quandoque id opportunum non erit. Hac da caussa distinctionem Rev.mus Secretarius Ad. proponit inter personas morales iuris publici et personas morales iuris privati.

Circa hanc quaestionem sententiae Consultorum sequentia respiciunt:

a) in tuto ponendum est ius nativum christifidelium sese associandi, etiam in Ecclesia (cf. Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 19; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 9);

b) sed non omnes associationes necessario erigendae sunt in personam moralem;

c) attamen omnis associatio ius habet ut certis sub condicionibus sibi aliquo modo agnoscatur capacitas iuridica, vi cuius bona possidere valeat, recursus interponere possit, etc.;

d) non quaelibet associatio se *catholicam* vocare potest: omnes quidem agere debent ut catholicae, sed nomen catholicum sibi vindicare nequeunt nisi hoc ab auctoritate ecclesiastica iisdem fuerit concessum (cfr. Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 24);

e) associationes iuris privati cadunt saltem sub generali vigilantia Hierarchiae, non secus ac singuli christifideles; haec tamen generalis submissio fit vera dependentia pro associationibus iuris publici.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut loco «associationes iuris privati» vocentur «associationes, quae habent personalitatem mere recognitam»; aliae autem dici possunt «erectae».

Rev.mus Secretarius Ad. existimat omnes consociationes erigi debere (sive ut associationes iuris publici sive ut associationes iuris privati), ita quidem ut omnes sint personae morales. Alii autem Consultores censem non semper necessariam esse personalitatem moralem; quandoque sufficere potest recognitio personalitatis iuridicae (iuris quidem privati) talium associationum.

Rev.mus primus Consultor dicit sibi non placere expressionem «persona moralis iuris privati», quia in hodierno Codice haec locutio «iuris privati» non adhibetur. Proponit igitur ut haec designatio vitetur, et dicatur plus minusve: «In Ecclesia adsunt associationes quae possunt esse sive *publicae* sive *privatae*; pro unaquaque autem specie statuendum est quam relationem habent cum auctoritate ecclesiastica».

Propositio placet, et approbatur quoque haec distinctio:

— Associationes quae constituuntur ab Auctoritate ecclesiastica sunt publicae,

— Associationes vero quae a christifidelibus constituuntur sunt privatae.

Ad personalitatem autem quod attinet, affirmari potest associationes publicas personalitatem ipso iure acquirere; privatas autem sive ipso iure sive per formale decretum competentis auctoritatis.

4. Alia quaestio a Rev.mo Secretario Ad. ponitur, videlicet *extinctio personae moralis*: quomodo fiat.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit can. 102 respicere solummodo universitates personarum. Dici ergo potest imprimis personam moralem natura sua esse perpetuam, cessare tamen si a legitima auctoritate extinguitur vel per spatum centum annorum agere desierit. Consultores sunt concordes: id enim quod momentum re vera habet est actio personae moralis.

5. Transitus fit ad aliam quaestionem, nempe: estne servanda clausula hodierni Codicis statuens personas collegiales a tribus saltem personis physicis efformari debere?

Rev.mus Secretarius censem hunc conceptum provenire e iure romano et minus congruere cum iure anglosaxonico, ubi aliqua repugnantia exhibetur erga personas morales collegiales.

Rev.mus primus Consultor quaerit utrum necessarium sit ut tres illae personae sint semper physicae, an sufficient, ut persona moralis constitutatur, tres personae morales quae in unum coalescant. (Concordant omnes).

6. Quoad can. 100 § 3 actualis Codicis, censem Rev.mus Secretarius Ad. hoc praescriptum utile non esse, quia effectus sortitur solummodo in iure processuali. Potest ergo supprimi.

Rev.mus primus Consultor non concordat, quia personae morales age-re nequeunt per se, sed per responsabiles, nempe per personas physicas. Ergo aequiparatio valet. Hoc momentum praesertim habet pro universitatibus rerum.

Rev.mus tertius Consultor censem hoc praescriptum servandum esse, sed nulla facta distinctione inter personas collegiales et non collegiales.

7. Ex hoc, nova ponitur quaestio: *de regimine*, seu quis repreaesentet personas morales.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit civilistas nunc propugnare personam moralem repreaesentari per organa.

Rev.mus primus Consultor obiicit haec organa constare personis physicis. Respondet tamen Rev.mus Secretarius Ad. tales personas physicis agere tanquam organum.

Adiungit Rev.mus Secretarius Ad. regula statuta in can. 101 non contemplari universitates rerum. Censem tamen quaestionem ita solvi posse:

— Si persona moralis est publica repreaesentatur iuxta modum in iure communi statutum.

— Si personae morales sint privatae, repreaesentantur a personis in statutis determinatis.

Rev.mus primus Consultor animadvertis canonem 101 § 1 contemplari solummodo actum electionis; censem tamen plures alios actus adesse posse. Proponit ergo novum textum huius canonis qui ita sonat:

§ 1. Si ad actibus agitur quae electiones non sunt, nisi aliud expresse iure communi aut particulari statutum fuerit, id vim iuris habet, quod demptis suffragiis nullis, placuerit parti absolute maiori eorum qui suffragium ferunt; quod si suffragia aequalia fuerint, praeses suo voto paritatem dirimat;

§ 2. Si vero agatur de electionibus, et iure communi aut particulari aliud cautum non sit, id vim iuris habet, quod, demptis suffragiis nullis, placuerit parti absolute maiori, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio, eorum qui suffragium ferunt; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium praeses paritatem suo voto dirimat, aut, si paritatem dirimere nolit, is electus habeatur qui est antiquior primum ordinatione, dein prima professione, denique senior aetate.

Hic textus omnibus placet.

Rev.mus tertius Consultor aliam proponit quaestionem, utrum scilicet in maioritate computanda sint necne vota nulla et abstensiones.

Rev.mus primus Consultor distinguendum esse censem: computanda sunt solummodo suffragia adstantium qui suffragium ferunt, ita ut excludantur absentes et illi qui a suffragando abstinent. (Alii existimant quod, ad validitatem actus requiritur ut saltem maior pars membrorum collegii adsit).

Ill.mus quintus Consultor animadvertis quaestionem restringi non posse ad numerum suffragiorum, sed p[ro]ae oculis habendos quoque esse:

- a) legitimam convocationem;
- b) modum conficiendi ordinem agendorum.

Hac de re longa habetur disceptatio. Status tamen quaestione hic est:

a) utrum pars absolute maior membrorum collegii electioni adesse debat necne;

b) quaenam maioritas requiritur ed electionis validitatem: utrum nempe maioritas membrorum qui sunt praesentes, an maioritas suffragium effectivum ferentium.

Concordant omnes ut hac de re duplex formula proponatur in proxima sessione dirimenda.

8. Quoad can. can. 101 § 1,2°, Rev.mus Secretarius Ad. quaerit utrum hoc praescriptum supprimi debeat necne.

Rev.mus primus Consultor censem heic agi de iuribus quae singulis

competunt, non prout sunt personae privatae, sed prout sunt organa collegii. Affirmat ergo regulam hanc momentum habere et servandam esse. Ut exemplum citat compromissum de quo in can. 172 § 1.

Ill.mus quintus Consultor existimat hanc regulam pertinere ad tempus quo nondum bene firmata erat distinctio inter actus singulares et collegiales.

Fit suffragatio, cuius exitus est:

— Servetur praescriptum: Rev.mi primus, tertius ac sextus Consultores et Rev.mus Secretarius.

— Supprimatur: Exc.mus secundus, Rev.mus quartus ac Ill.mus quintus Consultores et Rev.mus Secretarius Ad.

Sequitur disceptatio de hac re, et tandem Rev.mus primus Consultor rogatur ut, pro proxima sessione, textum conficiat.

Rev. mi tertius et primus Consultores censem quaedam residere in inveniendis normis circa omnes actus qui necessarii sunt ad efformandam voluntatem collegii.

Animadvertisit tandem Rev.mus Secretarius Ad. omnia praescripta de electione, quae in actuali Codice partim sub titulo de officiis ecclesiasticis continentur, in unico loco recensenda esse. Ita simul inveniri poterunt universi canones respicientes actus collegiales.

Sic ergo expletur disceptatio de rebus hac in sessione tractandis. Pro proxima sessione Rev.mus Secretarius Ad. schema canonum apparabit de personalitate canonica, iuxta ea quae deliberata nunc sunt, ita ut adhiberi possit tanquam fundamentum disceptionis.

Proponitur etiam materia de qua agendum erit in proxima sessione et circa quam Consultores sua vota redigent, scilicet: de officiis ecclesiasticis in genere (can. 145 et 146) atque de electione (can. 160-178).

His ergo peractis, preces de more dicuntur et sessio concluditur.

Romae, die 12 aprilis 1968.

J. HERRANZ
Actuarius

APPENDIX

SCHEMA CANONUM

Canon 1 (cfr. can. 88 CIC)

§ 1. Persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit, maior est; infra haec aetatem, minor.

§ 2. Minor, ante plenum septennium, dicitur infans seu parvulus et censetur non sui compos; expleto autem septennio, usum rationis habere praesumitur.

Canon 2 (cfr. can. 89 CIC)

§ 1. Persona maior plenum habet suorum iurum exercitium.

§ 2. Persona minor in exercitio suorum iurum potestati obnoxia manet parentum vel tutorum, secundum praescripta iuris civilis respectivae nationis, nisi ius canonicum de tutore vel de eiusdem potestate aliud praescriptum pro certis causis statuerit, aut Episcopus dioecesanus in certis casibus iusta de causa per nominationem alius tutoris providendum aestimaverit.

Canon 3 (cfr. can. 89 CIC)

Quicumque usu rationis habitu est destitutus censetur non sui compos et infantibus assimilatur.

Canon 4 (cfr. can. 90 CIC)

§ 1. Locus originis filii, etiam neophyti, est ille in quo cum filius natus est, domicilium, aut, defectu domicilii, quasi-domicilii habebat pater vel, si filius sit illegitimus aut postumus, mater.

§ 2. Si agatur de filio vagorum, locus originis est ipsem nativitatis locus; si de exposito, est locus in quo inventus est.

Canon 5 (cfr. can. 91 CIC)

Persona dicitur: *incola*, in loco ubi domicilium, *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet; *peregrinus*, si versetur extra domicilium et quasi

domicilium quod adhuc retinet; *vagus*, si nullibi domicilium habeat vel quasi domicilium.

Canon 6 (cfr. can. 92 CIC)

§ 1. Domicilium acquiritur ea in territorio alicuius paroeciae aut saltem dioecesis commoratione, quae aut coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, aut ad decennium completum sit protracta.

§ 2. Quasi-domicilium acquiritur commoratione in territorio de quo in § 1, quae aut coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem per tre menses si nihil inde avocet, aut ad tres menses reapse sit protracta.

§ 3. Domicilium vel quasi-domicilium in territorio paroeciae dicitur *paroeciale*; in territorio dioecesis, etsi non in paroecia, *dioecesanum*.

Canon 7

Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 8.

Canon 8 (cfr. can. 93 CIC)

Uxor, ratione debitae inter coniuges vitae communionis, communii quidem ut plurimum consensu ordinandae, praesumitur habere domicilium et quasi-domicilium viri sui; potest tamen etiam proprium domicilium et quasi-domicilium acquirere.

Canon 9 (cfr. can. 93 CIC)

§ 1. Minor necessario retinet domicilium et quasi-domicilium illius cuius potestati subiicitur. Infantia egressus potest etiam quasi-domicilium proprium acquirere; atque legitime ad norman iuris civilis emancipatus etiam proprium domicilium.

§ 2. Amens et quicumque, alia ratione quam minoritate, in tutelam vel curateland legitime traditus est alterius, domicilium et quasi-domicilium habet tutoris vel curatoris.

Canon 10 (cfr. can. 94 CIC)

§ 1. Tum per domicilium tum per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur.

§ 2. Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur.

§ 3. Illorum quoque qui non habent nisi domicilium vel quasi-domicilium dioecesanum parochus proprius est parochus loci in quo actu commorantur.

Canon 11 (cfr. can. 96 CIC)

§ 1. Consanguinitas computatur per lineas et gradus.

§ 2. In linea recta tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto.

§ 3. In linea obliqua tot sunt gradus quot personae in utraque simul linea, stipite dempto.

Canon 12 (cfr. can. 97 CIC)

§ 1. Affinitas oritur ex matrimonio valido, etsi non consummato.

§ 2. Viget inter virum et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos.

§ 3. Ita computatur ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa.

Canon 13 (cf. can. 98 CIC)

§ 1. Inter varios ritus in Ecclesia ad illum ritum quis pertinet, cuius caeremoniis baptizatus est aut ad normam iuris baptizari debuisset.

§ 2. Attamen, post receptum baptismum, alii ritui adscribuntur:

1° qui facultatem ad alium ritum transeundi ab Apostolica Sede obtinuerint;

2° mulieres quae, in matrimonio ineundo vel eo durante, ad ritum viri se transire declaraverint; matrimonio autem soluto, libere possunt ritum, cui ad normam § 1 adscriptae erant, reassumere.

3° filii minores quattuordecim annis quorum pater aut, in mixto matrimonio, pars catholica ad alium ritum legitime transierit; adepta autem maioritate, possunt pristinum ritum reassumere.

§ 3. Mos, quamvis diuturnus, sacramenta in alieno ritu recipiendi, non secumfert ritus mutationem.